



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Paula Vidua. Devotio erga infantiam Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. PAULA VIDUA.

Devotio erga infantiam Christi.

Deus, qui B. PAULAM docuisti, Romanæ Urbis majestati præferre speluncæ Bethleemiticæ humilitatem; da nobis tuæ nativitatis mysteria pie meditando recolere, & ad vitam renasci sempiternam.

Ora pro recuperatione Terræ-sanctæ,



PAVLA, nobilissimo genere Romæ edita, anno 347, & paris claritatis viro Totipotio nupta; cum quatuor ei filias, filium unum genuisset; eodē orbata fuit an. 379, totamque se dare cœpit operibus caritatis. Cum autem hospitio quoq; excepisset SS. Epiphanium atque Paulinum Episcopos, eorum exemplis & verbis sic incaluit, ut certa procul à patria & amicis Deo soli vivere, dimissis liberis opibusque, & solo Eustochii filia carissimæ comitatu contenta in Syriam abnavigarit an. 384. Quam istic religione loca sacra obierit, quam ex multis virtutibus fulserit, quo hæreticorum odio, sacrarum litterarum studio, pœnitentiæ rigore se exercuerit, juxta eam speculancam quam mundi Salvator nascens consecravit; luculenter descripsit ejus ibidem spiritualis pater, & mortis an. 400 obitæ spectator, Hieronymus. Triennium angusto hospitio usa, reliquos annos egit in monasteriis: in quibus plurimas sacras virgines, suo allectas exemplo, alebat & instruebatque; donec juxta dominicum Præsepe sepeliretur.

Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humeros ejus. Isa. 9.